

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PODAGRA;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRANCISCUS YOUNG,
EX INDIA OCCIDENTALI.

—— Nocet empta dolore voluptas.—Hor.

Kalendis Sextilibus, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXX.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PATRI OPTIMO

JOANNI YOUNG,

ARMIGERO;

NECNON

FRATRI CARISSIMO,

JOANNI YOUNG, M. D.

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATO PIOQUE

D. D. D.

FRANCISCUS YOUNG.

TABULA RERUM

Quae hoc in Libello continentur.

ERRATUM.

P. 14. *Pro* debilitaverint, *lege* debilitaverit.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

P O D A G R A.

AUCTORE FRANCISCO YOUNG.

PRAEFANDA.

Cogitantibus nobis quam curiose structum sit corpus humanum, quot ex partibus constet, quibus et quam variis muneribus hae partes fungantur necesse sit, deinde quanta semper pericula vitae hominis salutique immineant; morbis eum multis gravibusque esse obnoxium, haudquaquam mirum videbitur. Hi morbi variis ex causis oriuntur. Alios nobis a parentibus traditos habemus: alios, quae major pars est, nobismet ipsi paramus, deserta illa vitae ratione

temperata ac sobria, quam valetudo requirit, natura postulat.

Podagra de qua nunc agendum est, ex utrisque his fontibus originem ducens, summa attentione digna est; quippe quae non solum dolore intolerabili aegrotantem afficiat, verum etiam interdum in vitae discrimen inducat. De hoc morbo quidem, confitebor, experientia mea nil novi docuit; qua de causa, quaecunque de Podagra celebres scripserunt auctores, iis lubens utar; adhibita tamen cura, ne limites hujuscemodi opusculo vulgo datos transiliam.

I. DE DEFINITIONE MORBI.

Quae sequitur copiosa definitio Podagrae, auctore CULLENO illo celeberrimo, non minus acumine, quam scientia accurata, conspicua est: "Morbus haereditarius, oriens "sine causa evidente, sed praeunte plerum-"que ventriculi affectione insolita; pyrexia; "dolor ad articulum et plerumque pedis

"pollici, certe pedum et manuum juncturis, "potissimum infestus; per intervalla rever- "tens, et saepe cum ventriculi, vel aliarum "internarum partium, affectionibus alter- "nans." Haec Podagrae historiae majorem partem complectitur.

II. DE MORBI HISTORIA.

Podagram temporibus priscis extitisse, testantur plurimi auctores veteres, qui ejus mentionem scriptis suis fecerunt. Non ignoravere CELSUS, HIPPOCRATES, aliique; nec Horatium latuit, immedicabilem eam fuisse, ut discimus ex versu illo celebri,

> Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Hic morbus nonnullos, nulla data praemonitione, invadit: saepius tamen aditum ejus praenunciant signa quaedam notissima, sicut, dejectio animi; languor; somnolentia; cardialgia; gastrodynia; nausea; ructus, aliaque symptomata dyspeptica; alvus astric-

ta; frigiditas torporque extremarum partium; spasmi musculos crurum afficientes; solita perspiratio pedum suppressa; algores rigoresque corporis totius; defectus appetitus, qui tamen uno duobusve diebus ante morbi impetum vorax fit.

Paroxysmi impetus fere fit inter noctem mediam et galli cantum: dolor pedis pollicis, interdum calcis, tali, genu, aliarumque partium aegrotantem subito somno suscitat; adeoque ingravescit, insequentibus horrore, rigore, cutis calore, aliisque symptomatibus febrilibus, ut vix tolerari possit; partes morbo affectae adeo tenerae fiunt ut pondus levissimum pati nequeant; stramina ipsa onus intolerabile habentur; mens, non minus quam corpus, valde irritabilis redditur, motusque minimus circumstantium summa ira simul et cruciatu miserum afficit. Tandem, cum quatuor et viginti horas has miserias aeger perpessus sit, diluculo primo, dolore partim liberatus, partibus morbidis tumere et ardere coepit, viribus languescit, somno opprimitur, leni fere sudore diffluit, atque ita

paroxysmo solvitur. Non tamen omnino morbo liberatur: per aliquot dies vesperi febre et dolore summa vi redeuntibus usque ad diluculum vexatur. Cum tumor et inflammatio aliquot dies duraverint, paulatim subsidunt, et cutis fere multo pruritu desquamat. Instante morbo, cibus difficillimus est ad concoquendum; nausea, ructu, inflatione, spasmis afficitur ventriculus; constipata est alvus; aridissima usque ad paroxysmi finem, et calida, cutis; parce secernitur urina, quae lateritium deponit sedimentum.

Dolor hoc in morbo tantus est, ut aeger sentiat, velut si dislocata aut cuneo separata sint ossa, aut ipse canis dentibus dilaceretur, aut partibus morbo laborantibus plumbum fervidum infundatur, ferrumve ardens admoveatur.

Podagra principio fere alterum tantum pedem afficit; postea autem ambos aggreditur. Saepe, ubi uno pede relicto, alterum invasit, ad illum iterum redit; atque ita cruciatus miseri in longum protrahit. Nec u-

num tantum artum, sed saepe duos aut plures eodem tempore adoritur.

Primo morbi impetu pedes plerumque tantum afficiuntur; cum vero saepius recurrerit, pedes, genua, manus, cubitos indiscriminatim aggreditur.

Primo intervallis duorum, trium aut quatuor annorum podagra hominem invadit; postea vero magis magisque crebra est, donec tandem aliquoties per eundem annum recurrit. Quantoque breviora intervalla, tanto longiores paroxysmi fiunt, augenturque indies aegroti dolores.

In Podagricis nonnullis cujusdam corporis indolis, postquam hic morbus saepius aggressus est, effunditur in ligamentorum artubus circumductorum cavum inque membranam cellulosam et tendinum fascias, fluidum, quod absorptis partibus aquosis, terrenis, quas solutas tenuerat, depositis, in concretiones calcariis similes convertitur. Hae concretiones, iterum iterumque effuso et absorpto fluido interdum adeo accumulantur, ut multum augeantur aegri cruciatus,

artuum motus omnino impediatur, et plurima fiat distortio, ulceratis seu absorptis ligamentis artus cingentibus: et cuticulam prementes, foramina faciunt, per quae magna pars materiei calcareae emittitur.

Haec locutus de Podagra *regulari*, pauca dicam de formis variis quas morbus induit: primumque de *atonica*.

Accidit nonnunquam, ut diathesis Podagrica in corpore existat, artus vero certis ex causis, inflammatione careant. In hujusmodi exemplis in ventriculo praecipue afficitur aeger dolore intolerabili: huc accedunt anorexia, nausea, eructatio, vomitus, flatulentia, dolores spasmique in extremis superne partibus, et in variis trunci partibus, cum multis aliis symptomatibus, quae levant venti ex stomacho ejectio. Ad haec, animus demissus anxiusque, metusque periculi venturi aegrotum vexant. Si haec species cor aggreditur, palpitatio et syncope; si pulmonem, asthma; si caput, vertigo, capitis dolor, apoplexia sequuntur. Species alia est,

Retrocedens, ubi, cum quemlibet artum inflammatio adortus sit, nec solitum tempus permanet, nec paulatim subsidit, at subito, affecta aliqua parte interna, abit. Organum internum, quod fere aggreditur, est ventriculus; quo affecto, fiunt nausea, et anxietas, et dolor excrucians. Si vero intestina morbo laborant, occurrit enteritidis species gravissima. Quemadmodum afficitur cor, aut pulmo, aut caput, sequuntur palpitatio et syncope, aut asthma, aut denique apoplexia et paralysis.

In *Aberrante*, diathesis Podagrica inflammationem efficit, non artuum ut in regulari, at partis internae alicujus: cujus signa eadem sunt, ac si ex causa alia orta esset.

III. DE CAUSIS.

In causis hujus morbi describendis, ego, ut plerumque fit a scriptoribus medicis, in *praedisponentes* et *excitantes* eas dividam.

Incipiam ab iis, quae corpus praedisponunt, aut morbo obnoxium reddunt.

De Causis *Praedisponentibus.*—Podagra morbus *haereditarius* habitus est, cui eorum, qui eâ ipsi laboraverant, nati proni sunt, ex quadam corporis structura sibi a parentibus tradita. Haereditariam esse, parum dubito: videmus enim quotidie eâ laborare Podagricorum liberos, qui nunquam ipsi modis illis vivendi, quae ad eam praedisponunt, usi sunt: cujus rei, nisi ad corporis structuram, a patre ad filium traditam, referamus, causam explicare non erit possibile.

Ætas provecta ad Podagram praedisponit. Hic enim morbus raro aut nunquam impubes invadit. HEBERDENIUS negat unquam se vidisse exemplum Podagrae, ante pubertatis aetatem. HIPPOCRATIS est aphorismus, "Puer non laborat podagra, ante veneris usum."

Sexum virilem multo saepius quam foemineum Podagra aggreditur. Hujus causa esse videtur, tantum discrepare inter illorum et harum modos vivendi. Foeminas rarissime

invadit, easque corporis forma robusta et masculina. SENECA docet, priusquam luxuries Romae crevisset, foeminas nunquam Podagra laborasse. "Maximus ille medi-"corum," ait, "et hujus scientiae con-"ditor, foeminis nec capillos defluere dix-"it, nec pedes laborare. Atque hae jam "et capillis et pedibus aegrae sunt. Non "mutata foeminarum natura sed vita est; "nam cum virorum licentiam aequaverint, "corporum quoque virilium vitia aequave-"runt.—Quid ergo mirandum est, maximum "medicorum ac naturae peritissimum, in "mendacio prehendi, cum tot foeminae Po-"dagricae calvaeque sint? Beneficium sexus "sui vitiis perdiderunt: et quia foeminam "exuerunt, damnatae sunt morbis virilibus." SENEC. *Epist.* XCV.

Nimium studium quoque, stomachum et totum corpus debilitando, Podagrae praedispositionem dat: unde eruditos saepe illa affectos invenimus.

Affectus animi, praecipue depressi, quales moeror, anxietas, abjectio spei, &c. quos con-

coctionis organa viresque corporis afficere scimus, ad Podagram magnopere praedisponunt.

Ignavia, praesertim post vitam occupatam, organa, quae ad concoctionem pertinent, laedendo, habitumque corporis plethoricum inducendo, multum valet in gignendo eo corporis statu, qui podagrae obnoxius est: idque praecipue facit, adjuncto victu pleno et stimulante. Quicunque sese literis dant, et in iis occupationibus versantur, quae mentis magis quam corporis laborem exigunt, iis plerumque exercitationis corporis defectus aeque ac studium nimium, statum illum, qui ad Podagram proclivis est, procreat.

Intemperantia.—Immodicum usum carnis, dapium pingium stimulantiumque, liquorum spirituosorum, quorundamque vini generum, nemo nescit parere diathesin Podagricam, functionibus, quae concoctioni inserviunt, nocendo, plethoramque inducendo.

Nimius veneris usus, quippe qui ventriculum, functione ejus turbanda, multum laedat, totumque corpus debilitet, ad Podagram proclivitatem facit.

Quodcunque denique vires enervat aut habitum corporis plenum gignit, Podagrae causa praedisponens habendum est.

De causis excitantibus.—In causis hujus morbi tractandis, difficillimum est dividere in illas quae tantum praedisponunt, et illas quae tantum excitant. Nonnullae enim praedisponentium, simul ac potentiores fiunt, in excitantes convertuntur.

Inter eas causas, quae podagram excitant, numeratur intemperantia immodica, aut in edendo, aut in iis vinis bibendis, quae cito in ventriculo acescunt. Hunc morbum excitant etiam nimia aut corporis aut mentis exercitatio, vehemens animi concitatio, largus acidorum usus, victus opimus in parcissimum subito mutatus, frigus corpori, et praesertim partibus extremis, admotum, et injuriae externae, quales contusiones, et membrorum contortiones. Ne multa dicam, quodcunque genus nervosum debilitat, functiones ad concoquendum utiles laedit, aut statum corporis plethoricum inducit, inter causas numerandus est, quae, in corpore jam affecto dia-

thesi Podagrica, ad agendum excitant morbum illum dolorificum.

IV. DE DIAGNOSI.

Unicus morbus, cui Podagra est similis, *rheumatismus* est; unde distinguamus necesse est. Varia sunt signa, per quae plerumque hoc facile effici potest: in nonnullis autem exemplis difficillimum est.

Podagram plerumque praecedunt ea signa quae indicant multum turbatas esse concoctionis organorum functiones; *rheumatismum* fere nunquam. *Illa* rarissime primo impetu plus quam unam partem aggreditur: *hic* vero saepissime. *Illa* plures simul partes fere nunquam afficit: *hic* fere semper. *Podagra* nunquam impubes adoritur: *rheumatismo* nulla aetas immunis est. *Podagra* minores fere artus, *rheumatismus* majores aggreditur. In *Podagra* doloris febrisque remissiones insigniores quam in *rheumatismo.* In *illa,* dolor uno in loco permanet: in *hoc* ex

alio in alium evagatur. Intolerabilis quoque dolor, mollis in partibus affectis sentiendi facultas, sensus ponderis, et torpor, signa sunt, quibus *Podagra* a *rheumatismo* distingui potest. *Posterior* fere semper ex frigore corpori admoto oritur : *prior* variis ex causis.

V. DE PROGNOSI.

In Podagrae prognosi exponenda animum ad aegri aetatem, habitum corporis, vivendi modum, &c. advertamus opus est. Si ejus vires non debilitaverint prior intemperantia: si variae corporis functiones inturbatae maneant: si nervosum genus non affectum sit: si cessent signa febrilia; et inflammatio, simul redeunte cibi appetentia, minui coeperit: si denique morbus sese ex uno in alium locum transducturus non videatur : *bona* prognosis dari potest. Si autem contraria sint omnia, et inflammatio, deser-

ta parte extrema internum aliquod organum invadat, *mala* prognosis danda est.

VI. DE CURATIONE MORBI.

Prorsus versimile est, morbo tam violento, quique studiosos et literarum amantes saepissime aggrederetur, homines remedium quaerere antiquitus coepisse. Horum remediorum, quae innumera extitere, multa, primo quidem, ut tanti mali exoptata medicina, summa laude celebrata sunt: postea autem obsolevere, nec nunc nobis nota sunt, nisi ex scriptorum operibus. Hic scilicet, ut in aliis quibusdam morbis, quos quotidie multos tollere videmus, ars medendi parum in curatione valet.

Etsi tamen Podagrae curatio effici non potest, at operae pretium est quaerere, qua ratione hoc morbo laborantibus dolorem lenire aut minuere possimus. Explicem igitur necesse est, quam curationem suadeant medici illustres. Atque ego opinor, haec

duo in primis quaeri opportere: I. Quae medicinae maxime conferant ad paroxysmum curtandum seu mitigandum: II. Quae curatio in intervallo adhibenda sit, ut morbi reditus prohibeatur.

I. *Detractionem sanguinis* in Podagra curanda, multi suadent: hanc tamen alii, quippe quae morbum in aliquod organum internum fere removeat, ut nocentissimam rejiciunt. "*Experientia docet,*" ait MEAD, "*non esse cur speremus Podagram, detrahendo sanguinem sanari posse*; *hoc enim fere tantum efficit, ut morbus ex uno in alium locum moveatur.*" Sine dubio hominibus aetate provectioribus, et corpore debili atque confecto, quos, fateor, praecipue Podagra aggreditur, detractio sanguinis, propter debilitatem cujus causa est, noceret multum: ideoque ubi, quod rarissime accidit, adhibeatur necesse est, summa cura, et circumspectione adhibenda est.

Si vero aeger sit robustus et plethoricus; si urgeat pyrexia, et gravissime dolor cruciat, si denique inflamatio sit plurima, non dubi-

to quin sanguinis detractio, talibus in exemplis profutura sit multum, et paroxysmum contrahendo, et febrem, et dolorem, et inflammationem minuendo.

At quemadmodum, nisi curam adhibeamus, remediis utilissimis abutendi periculum est; sic detractio sanguinis immodica, in robustis etiam et plethoricis, causa esse potest debilitatis ejus, quae nobis summa diligentia vitanda est, ut quae, Podagra ut locum moveat, efficiat. Ad hoc remedium igitur tunc tantum descendendum est, cum febris aut dolor aut inflammatio mitigetur opus est.

Detractio sanguinis topicalis per hirudines multum laudatur, utpote quae minus, quam modus vulgaris, aegrotantem debilitet, minusque periculi afferat.

Purgationem alvi, ut remedium in Podagra, ubi tam perturbantur intestina et ventriculus, diu apud medicos adoptatam fuisse, esset cur crederemus, ni certiores essemus non fuisse: nam Podagram fere semper aut praecedunt aut comitantur, dyspepsia et con-

stipata alvus : in quorum sanatione multum prodessent purgantia, exonerando intestina non decocto cibo, qui ea vexat, prohibetque quin muneribus propriis fungantur. Ex quo autem floruit SYDENHAMUS, genere hoc medicinarum utilissimo, medici admodum parce sunt usi, perniciosum esse rati. Si quidem purgationem indiscriminatim adhibeamus adeoque supra modum ut stomachi intestinorumque tonum perdere, et functiones viscerum chylopoeticorum impedire sinamus, mali multi causa erit; si vero ea ita utamur, ut modice et regulariter intestinorum actionem excitet, adeo non nocebit, ut multum firmet concoctionis organa, eaque muneribus suis momentosis fungendo aptiora reddat.

Emetica.—Ubi aeger premitur non concocti cibi accumulatione, cardialgia, nausea, ructu, &c. emeticum plurimo erit commodo et levamini. Hoc tamen utaris modice oportet; adhibitum enim nimium saepe, ventriculi tonum perdet, eaque, ad quae levanda datum est, augebit symptomata.

Opium.—De opii usu in Podagra curanda, multum inter medicos disceptatum est. Sunt qui putent, efficere tantum ut paroxysmus vi majore redeat; dum alii omnibus aliis medicinis, aut dolorem mitigando aut somnum inducendo utilibus, praeponunt. Si hoc medicamen ipecacuanhae aut praeparatis antimonii conjunctum sit, non video quod obstet, quominus eo utamur, cum aegrotum vexant dolor et vigilia perpetua. Dum autem adhibetur, alvus purgativis aperta tenenda est.

Frigus admovere, aut affusa parti morbidae aqua, aut immersis eodem fluido pedibus cruribusque, multi omnibus saeculis utilissimum putârunt. HIPPOCRATES ait "Tumo-"res autem cum dolore in articulis sine ul-"ceratione podagricos affectus plerumque "levat, sedatque multa frigide his affusa." Quamvis traditum sit, supra memorato curationis modo, multos Podagra extemplo et impune liberatos esse, non desunt exempla, in quibus hic modus summo malo aegrotan-

tem affecerit; remoto subito morbo a partibus extremis in cor, cerebrum, &c.

Regimen omnino antiphlogisticum esse debet. Ægris juvenibus plethoricisque, a carne et liquoribus spirituosis abstinendum est. Qui vero aetate provecti sunt; quorum debilia organa concoctionis; et qui his liquoribus uti soliti sunt; iis detur victus nutriendo aptior, et modicus vini usus. Quae autem vina in ventriculo acescunt, ea summa cura vitanda sunt.

Ad *externa* quoque remedia saepe decurritur. Vapor aquae fervidae parti inflammatae admotus, ad dolorem mitigandum maximae utilitati est. Copiosa perspiratio ex membri affecti superficie, et tumor, ejus usum excipiunt, quae dolorem violentum admodum levant. Commodo eodem, quidam medici immersione partis in balneo calido utuntur. Aspersio aquae calidae et dolorem magnopere sedat.

Alia remedia externa sunt vesicatoria admovere, partem affectam oleis aromaticis fricare, aut urtica pungere. Haec tamen, licet

interdum dolorem levent, periculo non carent, efficiendo ut inflammatio subito recedat. Quapropter paene obsolevere.

In specie *atonica*, quaecunque ventriculo debilitatem afferunt, morbi viribus multum adjiciunt: haec ideo provide cavenda sunt. Æger ab usu vini et generosorum liquorum ciborumque, qui ad concoquendum difficiles sunt abstinere debet. Corroborandi causa organa quae ad concoctionem alimenti pertinent, aromatica aliaque tonica dentur. Perutilia sunt medicamina ad alvum leniter movendam data, et magnesia ad acrimoniam ventriculi corrigendam.

Cum Podagra a parte externa inopinato recedit, et organon internum corripit, remediis potentissimis ad aegrotum instanti morti eripiendum opus erit. Si ventriculus sit, quem spasmis morbus ingruit, opium in largis dosibus, vini spiritus aut alia stimulantia statim danda et intervallis brevibus repetenda sunt, donec dolor cessaverit. Fomenta calida regioni epigastricae admota utilissima sunt. Sin inflammatio ventriculi

minuetur, habitusque aegri plethoricus sit, ad missionem sanguinis et generalem, et topicalem per hirudines, decurrere oportet. Eodem tempore cataplasmi sinapios, aqua bulliens, aut alia quae subitam inflammationem excitant, parti, ex qua morbus recesserat, admovenda sunt, ut in eandem partem redire cogatur. Si intestina sint partes affectae, eadem ratio medendi requiritur. Si caput aut viscera thoracica adoriatur, eadem remedia sunt necessaria, ac in inflammatione harum partium aliis ex causis oriente; sinapismis necnon ut cum ventriculus invaditur appositis ad artus nuperrime affectos, morbum ad eos reducendi causa. Aberrans Podagrae species similem curandi methodum postulat.

II. In hac parte, ut supradictum est, constituo res considerare ad quas in intervallo, nos animum attendere necessarium est, ut reditus paroxysmi prohibeatur. Prius autem, quam de his dicam, id tantum observabo, morbum ne redeat prohibere de ratione vitae hominis fere in totum pendere; quip-

pe, nisi satis animi habeat, ut omnes causas, quae corpus morbo pronum reddunt, aut eum excitant, evitet, verisimile est, eum, quoad vivat, victimam illius morbi crudelissimi et molestissimi futurum esse: vitam fore brevem et voluptate privatam.

Diaeta.—Nil majoris momenti est in Podagra curanda, quam ut in qualitatem et quantitatem cibi summam curam adhibeamus. Quaecunque naturalem salutaremque impediunt actionem organorum eorum, quae ad digestionem cibi pertinent et plethoram inducunt, ut nocentissima Podagrico fugienda sunt. Quod ad qualitatem cibi attinet, si vegetus sit et plethoricus, fere omnino materia vegetabili vivere oportet; cibus enim animalis, corporis habitum plenum gignendo, multum laedit. Contra vero, si vires corporis crebris morbi aggressionibus exhaustae sint, diaeta magis nutrienti utatur opus erit. Quod ad quantitatem cibi attinet, plus cibi nunquam in ventriculum recipi debet, quam facile ferri potest: multa enim ingesta, distendendo sto-

machum, ejus functionem admodum impedit, et bonae concoctioni cibi obstat.

Aqua pura procul dubio potus longe maxime Podagrico idoneus est; et si ille robustus juvenisque sit, nihil fortius aqua bibat. Provectioribus aetate tamen, et qui cibum male concoquunt, et qui liquoribus spirituosis uti assueverunt, aliquantulum vini aut spiritus gallici aqua dilutum multum proderit.

Exercitatio.—Post moderationem diaetae exercitatio corporis maximi momenti parte fungitur in futura aggressione Podagrae prohibenda. Sunt haud pauca exempla hominum, qui cum longo temporis spatio hoc morbo laboraverint, modo vitae ignavo deserendo, vitamque alacriorem agendo, eo exempti sunt. Equitatio et ambulatio omnium exercitationis generum optima sunt. Oportet autem genus exercitationis aegri conditioni aptari; ideoque si pedibus aeger sit nec ambulare aut equitare possit, in rheda vehatur, aut alio aliquo modo se exerceat, opus erit.

Vestimenta Podagrici ea esse debent, ut eum ex coeli vicissitudinibus defendere et lenem perspirationem per corpus totum sustinere possint. Extremitates inferiores praecipue frigore debent defendi.

Balneum frigidum, affusio frigida, marinumque balneum, omnia maxime laudata sunt, ut quae corpus roborent idque contra Podagram protegant. In quibusdam tamen minime tuta sunt, ut in debilibus, et aetate provectis. Eorum usus tuto adhiberi potest a juvenibus tantum validisque: quibus multo bono erit.

Antacida, et prae caeteris magnesia saepe eodem consilio nuper data sunt, eaque multum commodi afferentia. Adjuvant praecipue, corrigendo acidum in ventriculo turbato generatum. Magnesia praeterea proficit, alvum leniter solutam tenendo.

Purgantia multum proficiunt in intervallis Podagrae ad ejus reditum prohibendum. Alvus itaque soluta regulariter tenenda est, usu medicamentorum eorum quae actionem

intestinorum leniter movent. Rheum palmatum, cremor tartari, sulphur, magnesia ad hoc consilium conferunt.

Amara quondam ut remedium causa Podagrae obstandi adhibita sunt. Medicamentorum hujusmodi, pulvis Portlandicus celeberrimus est, cujus usus nunc merito prorsus intermissus est, utpote quo multum mali gigni possit.

Denique, ut supra dixi, sive Podagram sive alium ullum morbum arcere volumus assidue colenda est Temperantia: haec sola nobis dare potest "mentem sanam in corpore sano;" haec sola efficiet ut vivamus beati et beati moriamur.

FINIS.

Part Speeches
A

